



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 91. Respondis Iesu: regnum meum non est de hoc mundo. v. 36.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

§. 90. *Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi quid fecisti? v. 35.*

Antea non intelligebam vim sermonum inter duos Præsides & Christum habituram. nunc iterum incipio capere, quid loquantur. Pilatus enim interrogans primo. *Tu es Rex Iudaorum?* & alia quaestione Domini, nempe: *Ex te ipso hoc dicis? an alii de me tibi dixerunt* quasi rejectus, iterum quaestione alia Dominum reiecit; *nanquid ego Iudaus sum?* Sed cito à modo illo recessit, & causam quaestionis suae edidit dicens, cur quaesierim, *An vis* *si noli mirari vel indignari. causam reatus tui quaero, quia sine reatu neminem damno, ad quod tamen urgeor à tua Gente & Pontificibus, cum ergo in ceteris quae attulerunt accusationibus falsitatem penetraverim in parte, quae est de regno & regio tuo titulo non capio, & volo ut exponas tunc iudicare poterò num alicuius supplicij sis reus. Si Regnum titulum in te discutit nolis eo quod nihil subit mali, & ego aliam tuae accusationis causam nescio; ipse dic, cur te ab eis captivum factum arbitrenis, aliter ex hac caligine emergere non possum.*

DEUS meus mira est vis naturalis rationis, quando iste sol à nubibus passionum non involvitur & absconditur. Idcirco oro te, Deus meus, ut quomodo in Pilato primis suis tractatibus in columen eius fulgorem servasti, ita in me & Catholicis cunctis conservare eum digneris, nam Lutherani inter se dissident & disputant inter se an Rationis lumen adhibere debeant, & Calviniani illud plane condemnant. Idcirco oro pro Catholicis qui illud lumen semper retinendum docent, & magis oro. nolo tamen, uti nec ipsi volunt, quod omnia illo lumine solo metiamur, & nolo agi contra ipsum, sed bene supra ipsum. Hoc & te, Deus, velle intelligo.

§. 91. *Respondit Iesus: regnum meum non est de hoc mundo. v. 36.*

Cum Pilatus iam eo devenisset quaerendo, ut ei mysterium redemptionis humanae esset aperiendum: dicendo, nihil mali feci, ob quod me Iudaei tibi tradiderint, sed livor & invidia eorum accensa sunt contra me, & ego innocens moriar per eos immolandum &c. Prudenter Dominus egerit ad primo factam Pilati quaestionem respondere nempe de regno & titulo regis. Cur autem hoc Dominus egerit optimae causae dari possunt, 1. Quia Pilatus suum propositum deseruerat, & ad hoc Dominus eum reducit. 2. Tenebatur ei inculcare invidiam Iudaeorum contra se, quam satis noverat. 3. Dabat exemplum optimum nobis eo facto, non calumniando vicissim eos qui nos calumniantur, neque reaccusandi. 4. Mysterium redemptionis humanae non tenebatur ante tempus aperire gentili, qui id-

is post biduum ex custodibus sepulchri suis militibus discere poterat.

Domine Iesu Christe, sol iustitiae & veritatis, omnem hominem venturum in hunc mundum illuminans, bene video, quod valde illuminaveris Pilatum, per sufficientissimam gratiam tuam, & bene video quod adhuc plus potueris ei prestare, quod tamen sapientissime non prestitisti, idcirco propono firmissime acquiescere in Ecclesiae sanctae tuae Romanae iudicio, & doctrina, quae docet omnibus dari sufficientem gratiam ad salutem suam: dari tamen multis etiam gratias specialiores praeter aliis, & nemini dando vel non dando fieri iniuriam. Hoc video clare in Pilato, qui cum gratia quam accepit salvari potuit a peccato mala damnationis, & tamen propter Passiones suas postea obortas salvari ab illo declinavit: Profitetur cum Innocentio X. & Alexandro VII. Gratia tuae, posse hominem resistere, profiteor hominem libere adherere gratiae, & eam deserere. In hoc Pontificius sum, non alterius sectae admirator.

§. 92. Regnum meum non est de hoc mundo. v. 36.

Notum fere est quid illo verbo Dominus voluerit, obiter dico tamen. 1. non ait, Regnum meum non est in hoc mundo, est enim, in mundo & Ecclesia eius & naturale imperium in omnes creaturas. 2. dicit, non est de hoc mundo, Quia non quare tenere hunc mundum & occupare uti Alexander Magnus, & Iulius Caesar & Augustus quaesierunt, & uti illi regnarunt, & tenuerunt. Non sic, neque uti Tiberius modo tene mundi Imperium, neque uti tu Pilate provinciam Iudaicam. Nequaquam, meum regnum seu imperium est diversa admodum rationis & ordinis, non habent sibi a me timere ulla regna vel imperia, quae ego potius trado, quam subjugem aut eripiam possessoribus eorum uti Imperatores & Monarchiae molitores.

O Christe placet mihi hoc regnum tuum, quia alia regna habent multum angoris. Sed audiam te de hoc amplius differentem.

§. 93. Si ex hoc mundo esset regnum meum ministri mei utique decertarent ut non traderet Iudais. v. 36.

Vt probaret praesidi gentili suum regnum non esse de hoc mundo argumentum ponit ei tale; si de hoc mundo esset regnum meum utique ex eo regno haberem militem conscriptum & ministros & proceres circa me ad mei custodiam corporis & decus. Patens est autem me tales non habere